Gozecensis Mysnia *Sirbia* dicitur: E reliquis duabus gentibus *Dalmincios* maxime Henrici Aucupis, *Milzenos* verò Henrici II. temporibus floruisse, reperimus. Quæ secundum hæc adjici monendo præterea possent, ut numero plurima sunt, ita lectoris committi studio atque attentioni satius fuerit, Vnum id non potui non de *Ditmaro* repetere, cum genere ille natus tam illustri historias scripserit, eandem curam etiam ad alios ordinis ejusdem atque loci pertinere: Quam ut scribendo navare omnes nequeunt, ita teneri ad hoc videntur, ut ne eos, qui studium & operam in id conferunt, negligant. Sic enim tandem fiet, quo & nostra patria certare cum exteris gentibus hoc in genere possit, & multorum iniquissimis expositionibus illatas iniurias â se depellat. Estque illud vel inprimis notabile, *Ditmarum, qui è Germaniæ optimatib. historiam monumentis commendarunt, omnium primum extitisse.* Oratio ipsius ea est, quæ in seculi istius barbariè esse potuit. Neque in ipsas expositiones lima adhibenda fuerit severior. Quas inter somniorum, apparitionum aut aliarum superstitiosarum observationum digressiones si quem offenderint, ei per me tanquam quisquilias aliquas, aut de auro scoriam, eas fugiat atque abjiciat, licet, ita tamen, ut ne præter casam, secundum Comicum, hoc est ne reliquæ historiæ sanguinem atque succum amittat. Certe ab hac labe neque cætera ejus temporis scripta expertia sunt, quæ si propterea fastidienda quis existimaverit, quid tandem de historia retinebimus integri? Forte & de eo aliquid in diligentia nostra desiderabitur, quod nominum propriorum scripturam & enunciationem veterem ferè retinuerim. Ad quod hoc infero; fidem auctori debitam id popposcisse. Ac relinquitur jam hinc argumentum quoddam, ut pronunciatio Germanicæ linguæ vetus â nostra recenti discreparit.

Quæ autem de more hic adjungenda esset cujusdam veluti patrocinii compellatio, eam ad vos, magnifici atque amplissimi viri, dirigere visum fuit, quos virtute duce, comite fortuna, ad summas maximasque dignitates per omnes honorum gradus ascendisse, & ornamentum reipublicæ, decus & lumen patriæ, conspicaremur ac veneraremur. Neque non gratam vobis ejus auctoris lectionem forecon fidebam, qui nondum hactenus publici juris factus fuisset,